



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxoniae S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titulus VII. De modo exuendi Infantem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

6. Postea Infantem benedicat, hoc modo :

Confirma Deus in Puerō isto, quod in eo operari cœpisti : à Templo sancto tuo deducat eum spiritus tuus bonus in terram rectam, et bene ✠ dictio tua sit super eum semper. Resp. Amen.

Et dein Parentem, Infantem, aliosque Circumstantes aspergit aquâ benedictâ, & sic dimittit.

7. Admoneantur tamen, quòd expleto tempore deportationis illius Habitûs, denuò reverti debeant, ut Vestes cum solemnitate acceptæ cum eâdem quoque exuantur, modo Titulo sequenti præscribendo.

TITULUS VII.

De modo exuendi Infantem.

ELapso tempore voti quo Parentes infantem devoverant, ut veste Ordinis indutus incederet, ferunt infantem in templum ante altare ubi Sacerdos indutus superpelliceo & stola stans ad altare, & ad infantem conversus dicat :

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit cœlum & terram.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat,

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, à quo omnine est donum, tibi gratias referimus, et impleta vota reddi-

reddimus, suscipe ea cum gratiarum actionibus, et intercedente B. V. Maria, sanctoq; Patre nostro Francisco, huic infanti de cetero presta salutem mentis et corporis, ut te Creatorem recta fide colat, in te Redemptorem spem suam conformet, te summum bonum super omnia diligat, atque sanctis mandatis tuis semper obediat; Per Christum Dominum nostrum. Resp. Amen.

Deinde veste Ordinis exuit infantem dicens :

Reddite vota vestra cum gratiarum actionibus.

Laudate Dominum omnes gentes : Laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, Et veritas Domini manet in eternum. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, sicut erat in principio, &c.

V. Dominus vobiscum.

R. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

Suscipe sancte Pater omnipotens eterne Deus vota precesque supplicum, et per intercessionem B. V. Mariae et Seraphici Patris Francisci presta nobis beneficia tua ita cognoscere, ut semper in gratiarum actione vivamus. Per Dominum nostrum, etc. Resp. Amen.

Deinde aspergit infantem & circumstantes aqua benedicta & dimittit.

TITULUS VIII.

Modus recipiendi Tertiarias in claustro viventes.

Imprimis sponsa per V. A. P. Guardianum & P. Confessarium, alioque Fratres in templum ad summum altare adducetur ex loco in quo fuerit